



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 6. De mari Maiori, seu Nigro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 6. De Mari Maiori, seu Nigro.

MARE MAIUS Turcilinguâ patriâ dicunt *Caradinizi*, corruptè à quibusdam semigræcis *Caradenis*: Græci verò *Maura Thalassa*, quæ voces Turcicam expriment *Mare Nigrum*; vnde à Russis *Zorno-More*, à Teutonibus *Schuuatz* appellatur. Cur autem Turci dixerint hoc mare *Nigrum* dux redduntur in Historiâ Turcicâ rationes: *prima* quòd perpetuæ huic incumbunt nebulae, *altera* ob tempestates quibus in eo multæ hauriuntur naues.

Iam quod ad diuisionem eius attinet: quidquid Thraciæ obiicitur ORA ROMANIÆ dicitur, quidquid Asiæ Minori ORA NATOLIÆ, nisi versus Trapezuntem vbi nomen ex reliquiis imperij remansit littori TRAPEZVNTINO, *la coste de Trebizonde*. Sequitur ORA MINGRELIÆ secundum *Colchidem*. Hinc ad Bosphorum Cymmerium ORA SONSKÆ, *la coste de Sonska*. Quidquid à Meridie Tauricam Cherfonesum lauat dicitur ORA CAPPENSIS, *la coste de Caffa*, seu *de Precops*. Tum mare terras subiens vocatur, *le Golphe de Negropoli*. Ad ostia Borysthenis, vbi Cozaci inter arundineta viuunt, *la coste des Roux*. Reliquæ oræ *Podolia*, *Moldauia*, *Bulgaria* à vicinis regionibus quibus affunduntur nomen habent.

MÆOTIS Palus hodie *Mer de Zabacken*, dicitur à pisce qui hîc statis anni temporibus capitur: iungitur mari Maiori per Bosphorum Cymmerium, *le Canal de Caffa*, seu *de Precops*, aliter *Boscea de S. Gioanni*, de quibus iterum in Minori Tartariâ.

§. 7. De Mari Salaceno seu de Sala.

MARE DE SALA aliter de BACCY, sic vocatur ab vrbi- bus, quarum hæc in *Mediâ*, seu *Seruan*, illa in *Tartariâ*, aliter *Salacinis*. A Russis dicitur *Gualentza More*, ab Armenis, *Mer de Giorgiam*, à Persis *Dario-Guelyani*, *Mer de Gueylan*, à Prouinciâ *Perfidis* conterminâ *Seruianæ* ab Oriente, ab Arabibus *Curzum*, aut *Bohar-Corzum*, quod nomen habet commune cum Sinu Arabico. Varia eius nomina leges apud Texeram lib. I. vbi notat hyeme magnâ ex parte concrefcere. Veteres credebant eius Pisces nostris esse dissimiles, nunc agnoscit in eo M. Polus Salmones, & Acipenseris. Putabant quoque subdulce; Ioannes Perfa falsissi-